

nunciare [a] quedam, fortasse non omnia vera, præcepit. Libenter obedierunt [b] tales discipuli dictis chari magistri [c]. Audito itaque frequenter reiterato, quod comes cum Ravennatibus composuisset [d], quibus et Faventinos qui castrum custodiebant dare debebat [e], stulti, quorum sententiae in civitatibus prævaleret quandoque consueverunt, furiose arma sumentes, contra voluntatem et præcepta consulum, Cunium festinaverunt; quibus et qui castrum custodiebant, nimis cito creduli, portas aperirent, omnes muros et alia aedificia in fossatum laborantes prosternere. Tanto autem et tali opere incepto, ita omnes in brevi unius effecti sunt voluntatis, quod sapientes cum insipientibus [f], senes cum junioribus, viri cum mulieribus totum penitus exarserunt destruere castrum, omnem culpam in miserum comitem infundentes.

*Quando ad obsidionem [g] Imolae iverunt Bononienses
et Faventini, et reaedificaverunt castrum Sancti Cassiani et castellum Imolae.*

CAP. XLVII.

In illo tempore, quo cum Ravennatibus Faventini guerram habebant, censem, quem eis et Bononiensibus Imolenses debebant, utrisque denegaverant penitus, et toto tempore guerræ, ut juramento tenebantur, nullum Faventinis [h] contra inimicos exhibuere solarium. Hac itaque justissima occasione, anno Domini MCXLVIII, Bononienses et Faventini guerram Imolensis facere cœperunt. Civitatem vero prope sex menses obsidentes, arbores, vineas, segetes a quinto millario usque ad foveam [i] inciderunt omnino. Castrum autem Sancti Cassiani et castellum [j] Imolae quod e Imolenses destruxerant, revocatis habitatoribus, infra annum et dimidium reædificaverunt, unde hostes affligebant non modicum [k].

De secunda destructione castelli Imolae [k].

CAP. XLVIII.

Anno post Virginis partum MCL [l] die XIII^{is} mensis Octobris, scientes Imolenses quod pauci derelicti fuerant ad custodiendum castellum Imolae, in prima hora noctis

Oct. 14

[a] in populo nunciare. Sic Cod. M.; an in omittendum? — [b] Libenter obedierunt, C. V. et Cl. Mitt. In C. M., libenter obedirent. — [c] chari magistri. In C. M., kari magistri. — [d] cum Ravennatibus composuisset, Codd. M. et V. et cl. Mitt. Subintellige, ut supra monui, res, vel se. — [e] dare debebat. Sic legendum. Codd. habent dare debabant. — [f] sapientes cum insipientibus. In C. M., sapientes cum insipientibus. — [g] Quando ad obsidionem, etc. Titulus hic forte evanuit in C. M., praeter voces Bononienses et Faventini. Supplevi igitur, ut vides, sed diverso a consueto charactere. In C. V. omnino deest. — [h] nullum Faventinis, Codd. M. et A. In C. V., in illum Faventinis. — [i] usque ad foveam. An hic fovea, qua urbis moenia eingebantur, intelligenda? — [j] non modicum, C. M.; non modice, C. V. — [k] castelli Imolae. In titulo, post castelli, C. M. habet lacunam, quam supplevi ex aliis codicibus, verbo Imolae. — [l] Anno post Virginis partum MCL. Sic Codd. In vers. Ital. Gregorii Zucculi, hoc caput refertur ad annum XLVIII.

[A] *Castrum S. Cassiani et castellum Imolae*, loca siquidem munita, non procul ad urbe Imolensi, nunc omnino delecta. De castro S. Cassiani jam supra. Quod attinet ad castellum Imolae, hoc erat citra flumen Santernum, quod Imolae proximum est. Vide Cap. seq.